

Michaelis.

De 565









L. D. B. V.

DISSERTATIONEM PHILOLOGICAM
DE

HISTORIA LIN- GVAE ARABICAE,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIPE BORUSSIAE, MARCHIONE BRANDENBURGICO,
CETERA, ET DVCATVS MAGDEBVRGICI GV-

BERNATORE,
PRAESIDE

IOANNE HEINRICO MICHAELIS,

GRAECAE ET ORIENTAL. LINGVARVM P. P. ORD.

PRAECEPTORE ET AVVNCVLO SVO AETERNVM VENERANDO,

pro priuilegiis & honoribus **MAGISTRI Philosophiae**
& Artium rite impetrandis,

Eruditorum examini sistet

CHRISTIANVS BENEDICTVS MICHAELIS,

Ellrica - Hohnsteinensis,

A. D. IVNII. cId Idcc VI.

H. L. Q. C.

HALAE MAGDEBVRGICAE Litteris Chr. Henckelii, Acad. Typogr.



DISSERTATIONEM PHILOGICAM

DE

HISTORIA LIN.

REGIUM MAGIS SENISSIMO



PER ILLVSTRI ATQVE EXCELLENTIS-
SIMO DOMINO,
DOMINO
CAROLO HILDEBRAND,
LIBERO BARONI
DE CANSTEIN,
DYNASTAE IN CANSTEIN,
SCHONBERG, NEVKIRCH, BLUMBERG,
EICHE, DALLWITZ, &c.
DOMINO AC MAECENATI
SVO BENEFICENTISSIMO,

Hanc qualemcunque ingenii sui lucubrationem,
in gratissimæ mentis & obsequii monumentum

demisse offert

cliens deuotissimus

CHRISTIANVS BENEDICTVS MICHAELIS.



PERILLVSTRIS ATQVE EXCELLEN-
TISSIME DOMINE,

HOc meæ erga TE gratæ mentis atque obse-
quii pignus iure meritoque exstare debuit:
non quasi præ ceteris aptum id esset, quod
TIBI a me offerretur; sed quod nunc aliud
nullum suppeteret, commodius autem exspectare non
permitteret beneficiorum TVORVM cumulus,
meaque in TE pietas & obseruantia. Quintus enim
nunc annus agitur, ex quo studiis meis promouendis
liberale stipendium clementer decreuisti, & quotan-
nis adhuc numerasti. Pro qua gratia nihil equidem
habeo, quod TIBI rependam; tacere tamen, quan-
tum debeam TIBI, nisi ingratissimus esse velim,
haud possum. Patere igitur, PERILLVSTRIS
DOMINE, vt hæc qualiscunque disertatio mea,
PERILLVSTRIS Nomine TVO inscripta, publi-
cum sit meæ in TE obseruantia & deuotæ mentis
documentum. DEVM autem T. O. M. supplex
veneror, vt quidquid beneficiorum Tuorum in me a-
liosque profectum est, & proficiscetur in posterum,
affatim TIBI velit omni prosperitate animique doti-
bus compensare. Dab. Halæ Magdeburgicæ a. d.
XVII. Iun. A. C. MDCCVI.





CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

1. **A**rabica lingua diuersis nominibus adpellatur. 2. Contraria est Barbarica. 3. Dialectus Hebraica, auctore Kabtane vel potius Laarabo. 4. Mater ipsa vicissim Aethiopica, ac quodammodo Turcica atque Persica. 5. Arabismi duplex periodus. 6. Qualis fuerit ante Muhammedem? & qualis post eundem? 7. Virum ante Muhammedem litteras habuerint Arabes? negatur ab Ibn Chalekan. 8. Rationibus verosimilibus adfirmatiua adstruitur. 9. Inquiritur in causam, cur vetustis Arabibus litteras fuisse Moslemi negent. 10. Enarrantur varia scripture Arabica genera. 11. Arabismus per ingruentem Islamismum aliquantisper immutatus. 12. Sub Haschemidarum principatu per philosophia & litterarum studia copiosior factus. 13. Diuersitas loquutionis Arabicae vnde? 14. Differt vulgaris lingua ab erudita. 15. Potiores dialecti Arabicae. 16. Qualis Iudaorum & Christianorum stylus Arabicus? 17. Muhammedani quomodo Arabismum colant? 18. De lingua antisemitibus. 19. Est difficilis Arabica dialectus. 20. propter lectionem. 21. pronuntiationem. 22. copiam. 23. amphiboliam. 24. significandi latitudinem. 25. significandi tropum. 26. contrarias vnius vocis significationes, plures formas, & auxiliarium copiam. 27. ac denique propter multitudine proverbiorum. 28. Qualis discendi Arabismi methodus sit commendanda? 29. Num usum habeat, & in Philologia sacra cum primis? 30. Valet ad restituenda etyma. 31. eruendam significationem formalem. 32. declarandam vocum obscuritatem. 33. & ad intelligendam emphasin Hebraea lingua.



Quod plerisque linguis accidit, ut varias accipiant denominationes, id Arabicæ cum primis obseruamus contigisse. Nam præterea quod pro diuersitate dialecti modo *Coraischitica*, modo *Nabatea*, & *Iemanica* vel *Homeritarum* cognominatur; ex Iudæorum monumentis notum est, Arabicam linguam sæpius vocitari לשון ישמעאלית *Ismaeliticam*, לשון קדר *Kedarenam* seu *Cedreorum*, ac denique לשון הגרי *Hagarenicam*, ob rationes facile intelligendas. Solet & *Saracenicæ* interdum adpellari, Græcis præsertim mediæ æui scriptoribus: quia, quæ tunc temporis famosa erat, Saracenorum turba ex mediis Arabiæ visceribus fuit excita. Qui *Mauritanicam* dicunt, in animo habuerunt Mauros, maris mediterranei accolæ, ex veteribus Saracenis superstites, vernaculo sermone hodiernum Arabas. Sed *Turcicam* minus bene vocant quidam itinerariorum scriptores, confusa vtraque gente, Turcorum & Arabum; qui etsi nunc vno principe utcunque regantur, linguam tamen penitus sunt diuersi.

§. II. Generatim ei opponitur *sermo Barbarus*, Arabicè רטינא dictus: quo nomine venit, quicquid dialectorum diuersum est ab Arabismo; sicut Romani fere atque Græci *Barbaros* dixerunt, quicumque aliud, quam Græca aut Latina sonarent. Præterea contra *Arabismum* ponitur etiam עגמיה *Barbarismus*, vel לשאן עגמיה *lingua Barbara*: quæ quidem vox etsi non minus, quam modo dicta רטינא, dialectum ab Arabismo prorsus diuersam significare possit, uti sæpe significat; tamen aliquando a רטינא multum adhuc differt, atque frequentius fere denotat sermonem Arabicum quidem, sed *Barbarismis inquinatum, neque distinctum, purum & discretum*. Cui exacte contrarius esse videtur *Arabismus*, quem vocant ערביה אלמחצה *purum ac defecatum*, nobilissimam pu-
ca

ta omnium Arabicarum dialectorum *Coraischiticam*. Id nos docuit præter alios *Mubammedes*, qui vt genere *Coraischita* fuit, ita quoque natiuo *Coraischitarum* stylo *Coranum* suum elaborauit, atque idcirco *Surab XXVI, 195, 198. Surab XLI, 44.* & alibi passim gloriatur: *Coranum* suum de cælo descendisse *מבין ערבי מסאן* in lingua *Arabica perspicua* & eleganti, quali utebantur fere *Meccani*; neque enim credituros fuisse *Arabes*, si ab aliquo *אלעגמן* *Barbarorum* fuisset lectus & recitatus. Vbi *Barbaros* intelligit non modo qui prorsus non loquerentur *Arabice*, sed qui parum *eleganter* & *difertē*. Oportebat nimirum *Muhammedem*, vt suis fidem faceret, in dicendo tanto *delicatiorem tersioremq;* esse, quanto erat in doctrinæ suæ commentis *absurdior*. Sed insuper עגמיה specialiter *Turcis* & *Arabibus* *Persam*, & עגמי *Persam* significare, id quidem cum ex *Animaduersionibus*, quæ *Petri Bellonii Observationibus* in fine adiectæ sunt, p. 207. cognouimus; tum nos confirmauit *Metaphrastæ Arabici*, quem *Opus Polygl. Anglicanum* exhibet, auctoritas, quippe qui *Aët. II, 9. Persas* interpretatur אלעגן.

§. III. Arabicam linguam *Hebrææ* matris dialectum & velut propaginem, aut saltem communis cum ea stirpis esse, non modo eruditi omnes consentunt, sed etiam id maxime euincit *vocum dictionumque plurimarum* communio, consensioque *Grammaticæ* haud leuis. Enim vero quo tempore, & quibus auctoribus seiuncta esse cœperit ab *Hebraismo*, id quidem tam obscurum est, quam *omnis antiquior Arabum historia*. *Gentis* equidem duplex origo ab ipsorum scriptoribus solet constitui, pro diuersitate familiarum: quarum altera stirpem suam refert ad *Ioktanem* *Eberi* filium *Gen. X, 27.* *Arabibus* leui immutatione קחטאן *Kabtanem* dictum; altera genus suum ducit vel ab *Ismaele* ipso, vel ab *Adnane* ipsius postero. Illi ה לעארב אלעארב vel, vt alii malunt, אלתערכה *Arabum purorum*; hi autem, quod patrem *Ismaelem*, neque origine neque lingua *Arabem*, sed *Hebræum*, habuerunt, אלערכ

אַלמכתערבֿה *Arabum factorum seu infitiorum nomine veni-*
unt. Vid. Pocok. Not. in Specim. Hist. Arab. p. 39. Atque illud
de Joflanidarum sede in intimis Arabiæ felicis, fuse nobis pro-
batum dedit Bochartus in Geogr. S. lib. II. c. 15. Neque de
Ismaele possumus dubitare, quin cum posteris suis ad Ara-
bum regiones concesserit, si quidem ad animum reuocemus,
quæ scripta de ipso exstant Gen. XXI, 21. & c. XXV, 6. 18.
& conferamus ipsorum Arabum, ad hoc mirifice conspiran-
tium, testimonia. Restat tamen illud disquirendum, vtrum
qui gentis, iidem quoque linguæ conditores exstiterint? De
Ismaele hoc suspicari non possumus, quia constans est Ara-
bum traditio, dudum in Arabia ante Ismaelem viguisse ser-
monem suum: nisi sorte arriserit, quod ferunt eiusdem,
gentis scriptores, Arabismum ad normam primitiuæ He-
brææ, a qua longius deflexerat, ab Ismaele fuisse correctum
& limatum; Pocok. Not. ad Spec. Hist. Ar. p. 152. Quod ipsum
tamen, si de Arabismi totius ambitu intelligendum sit, reco-
gitantibus non videbitur omni carere dubitatione. Quomodo
enim priuatus homo, qualis initio inter Arabes cum familia
sua fuit Ismael, amplissimæ gentis linguam reformare vel po-
tuiisset vel voluisset? Etenim sermonis arbitrium pænes plu-
rimos est & potentiores, non pænes pauciores; & linguas
emendare possunt non qui sunt peregrini & aduenæ, sed ci-
ues & domestici. Itaque de Kabtane videamus, annc is lin-
guæ auctor dicendus sit? Adfirmat id equidem Bochartus in
Phaleg lib. II. c. 15. refertque ex Iosephi Ibn - Abdillatif opere ge-
nealogico, & ex Camuso Gjeubaris: Pridem apud Arabes inualu-
isse hanc opinionem, Iectanem siue Cabtanem esse Arabum parentem
& repertorem lingue Arabica. Contra Pocokius in Not. ad Spec. p. 55.
similiter scriptorum Arabicorum fidem atque vestigia sequu-
tus, ait: Kabtani filium יערב אור מן נטק Iaarabum esse אור מן
באלערבֿה primum, qui Arabice loquutus fuerit. Hæc igitur
etsi non admodum pugnent inuicem, tamen diuersa sunt. Et
mira

mira, vt fatear, nobis accidit *Gjeubaris* allegatio, qua nititur *Bochartus*: nam vt *Golianum Lexicon* sub voce *יערב* euolvo, prorsus differentem video *Gjeubarin* a *Bocharti* sententia, consentientem contra *Pokokio*. Ita enim habet: *יערב* *בן קחטן* est *Jarab* filius *Joktan* Gen. X. qui est *אליומן* pater populorum Arabiae felicis; primus Arabice lingua auctor. Unde consequitur, vt *Bochartus* in citando *Gjeubari* errorem admisisse videatur; constans vero optimorum inter Arabes scriptorum opinio sit, sub *Jarab* demum, *Joktanis* filio, idioma Arabicum ab Hebræo longius deuiasse, & peculiarem omnino linguam fuisse factam. Forte etiam hæc causa est, cur *Ierachum* istum (Hebr. *ירח*) mutato nomine *Jaarabum* dixerint, quasi qui primus omnium arabicari cœperit. Est & alia sententia Græcorum Patrum, *Eustathii Antiocheni* in *Hexaemeron*, & auctoris *Chronici Alexandrini*, qui, *Bocharto* in *Phaleg*. lib. II. c. 17. allegante, Arabum genus vna cum lingua ab *Ἀσαρηώθ*, Hebr. *חצרמה*, itidem *Joktanis* filio, repetunt. Quæ quidem opinio vel ideo tolerabilis est, quod *Jerab* & *Asarmoth* ambo fratres exstiterunt & *σύγγενοι*, adeoque communiter aitam linguam mutare potuerunt; & hoc eo magis, quia in Arabia vterque sedem habuit. Ita enim *Metaphrastes* Arabicus, quem opus Anglicanum exhibet, de vniuersa *Kabtanis* prosapia loquitur: *Erat habitatio illorum a Mecca vsque dum venias Medinam*. Sed quod idem laudatus *Bochartus* ad horum classem *Eusebium* quoque in *Chronico* reuocat, cuius obscurum *Ἰερὰβώθ ἀφ' οἰ Ἰερὰβες*, corruptum esse censet ex *Ἀσαρηώθ*; id quidem videtur esse paullo durius. Multo enim putamus pronius esse, vt *Ἰερὰβώθ* cum præcedenti themate *יערב* *Jararab* concilietur, quam cum *Ἀσαρηώθ*. Et quidni potius huc quoque trahamus *Epiphani* locum in *Hæresi Sethianorum*, dicentis, *Ἀρηώθ* *Armothum* vsurpasse linguam Arabicam? Certe vt B. & M. Arabibus sunt valde promiscuæ litteræ, ita & in Græcis scriptoribus sæpius permutantur librariorum incuria. Quo-

cun-

cunque modo se res habeat, siue a *Kabrane* primordia linguæ Arabicæ repetas, siue ab eius filio *Jaarabo*, vel *Afarmocho*, tamen vtrinque; illud quam simillimum vero euadit, esse antiquissimam linguam, & inter Orientales dialectos, post Hebraicam Chaldaicamque, vetustate vix vlli cedere.

§ IV. Vti autem lingua Arabica non dedignatur Hebrææ matris filia nuncupari, quippe cuius imaginem viua quasi imagine exprimit; ita vicissim ipsa aliarum dialectorum, Aethiopicæ videlicet, & quodammodo Turcicæ atque Persicæ, mater extitit. Aethiopes enim, qui nunc *Habesini* vocantur, in Arabia olim habitasse, atque Sabæis seu Homeritis accensitos fuisse, argumentis admodum verosimilibus probat *J. Ludolfus in Hist. Aeth.* lib. I. c. 1. & in *Comment.* Vnde nec mirum est, eorundem dialectum ab Arabismo quam proxime abesse. Qua de re iuuat modo laudatum Aethiopicæ litteraturæ instauratorem ac principem audire: *Aethiopica lingua*, inquit, *Arabica maxime cognata, ac eius velut propago est, iisdemque penè regulis grammaticalibus comprehenditur: eadem fere coniugationum sunt forme, eadem pluralium sanorum & fractorum ratio; vt qui illam calleat, hanc nostram nullo negotio addiscere possit.* Persici autem & Turcici idiomatis propago longius ab Arabica lingua distat, neque fere, nisi in plurimarum vocum usurpatione ipsam matrem agnoscit. Agnoscit tamen: et si enim Persæ suam olim peculiarem linguam habuerint, separatam ab Arabismi commercio, tamen ex quo Muhammedica superstitione eos inuasit, non modo characteres Arabicos, obsoletis priscis; sed etiam, vt *Ludouicus de Dieu in Rudimentis Pers.* p. 5. ait, infinita vocabula sua fecerunt, præsertim nomina, participia, infinitiuos pro nominibus, & aduerbia. Idemque de lingua Turcica iudicandum esse videtur, quæ, vbi Turci cum Saracenis in vnum imperium coaluerunt, ita ex Persica & Arabica fuit interpolata, vt qui his bene fuerit imbutus, illam facile possit adsequi.

§. V. Habet vnaquæque lingua suas periodos, quarum

am-

ambitum diligentius scrutari philologos apprime iuuat. Nam uti hominis diuersæ ætates sunt, infirma propter pueritiam, vigens propter iuuentutem, constans & virilis propter maturitatem, inclinata denique propter senium; ita linguæ, reuolutis secundum ætatis seriem temporibus, vel imbecillæ sunt initiis, vel vigentes progressibus, vel obsolescunt & vetustate veluti conteruntur. Hanc ob causam præstantissimi Viri, quicquid in Latinitate effloruit, ad sæculorum temporumque decursum distinxerunt; ut quæ fata eius fuerint, explicatius & velut ex tabula quadam chronologica pateret. Et ad hunc modum possent Arabisini tempora similiter in suos ordines diuidi: sed id nobis difficilius est tum propter longinquitatem gentis, qua distat a nobis, tum quod luce scriptorum destituimur. Itaque malumus generaliore diuidendi rationem, quæ & facilis est & ipsis Arabibus vsitata, nunc obseruare, spectaturi, qualis *ante Muhammedem* lingua Arabica, & qualis *post eundem* fuerit? Omnino enim moderni Arabes cum litterarum & linguæ, tum religionis suæ historiam in duas partes distribuunt, quarum prior pertinet ad statum Arabiæ **פִּי אֵלֶּגְאָה־הַיָּה** *tempore ignorantia* (quo nomine vocant omne id, quod ante Muhammedem in ipsorum peninsula fuit;) altera **פִּי אֵלֶּאִסְלַם** *tempore Islamismi*, seu post tempora Muhammedis. Quo iure autem, quæ iniuria, religionis & linguæ fata ad vnâ tractationis classẽ referant, id quidem non multo post, vbi speciatim ista persequemur, luculentius cognoscetur.

§. VI. Primum enim ab antiquo tempore suis finibus, neque admodum augustis, lingua Arabica circumscripta fuit, in Arabiæ angulis per annos fere bis mille hærens, neque extra hanc vltcrius ad circumiectas regiones progressa. Postmodum vero, vbi per seuera Dei iudicia Islamismus inualuit, (quod factum est sæculo post Christum natum septimo) Arabum dialectus vna cum imperio & superstitione Mosle-

B

mica,

mica, tam late fuit propagata per Asiam, Africam & Europæ non contemnendas partes, ut ea neque incrementis, neque usu, toto orbe amplio rem humana possit memoria recordari: cœpitque vel vernacula fieri, exacto sermone populorum natio, (uti est hodiernum in Palæstina, Aegypto, Syria, Nubia, & Mauretania siue, ut nunc dicimus, Barbaria) vel pro doctorum & religionis lingua haberi, ita ut in ea non modo Alcoranum legant, preces & sacra faciant, sed etiam eruditi omnes & calleant eam, & ad scribendos in omni genere libros adhibeant. Quin hæc ipsa dialectus in aliis quoque regionibus, quæ Muhammedi nequiquam deuotæ sunt, tamen propter vniuersi Orientis commercia radices figit. De Chinesibus, Iaponensibus item, & aliis id obseruat Waltonus in *Proleg. XIV. ad Bibl. Polygl. p. 94.* Apud Aethiopes autem Christianos in aula Regia & inter mercatores satis notam esse, ut qui eam calleat, facili negotio sua vbiuis gerere possit, testatur I. Ludolfus in *Hist. Aeth. lib. I. c. 16.* Hoc pacto verum esse intelligitur, quod Waltonus in *Proleg. XIV. ait: Quod olim de Latina respectu Græca dictum fuerit, idem de Græca atisque omnibus præ Arabica dici posse, angustiis limitibus esse comprehensas; si quidem cum hac comparentur. Quam ob rem non incommodè Postellus de Ling. 12. p. 83. Amplectamur, inquit, hoc lingue beneficium, quo cum Mauro, Aegypto, Syro, Persa, Turca, Tartaro, Indo, & ut semel dicam, fere in toto terrarum orbe sine interprete conuersari valeamus.*

§. VII. Porro ut ante Muhammedis tempora Arabum eruditio fuit lingue sue peritia, sermonis proprietas, carminum textura, & orationum compositio, referente Abulferaggio in Pocokii *Spec. Hist. Arab. p. 7.* ita ex hoc ipso vnicuius patere potest, quam diligentes fuerint in excolenda dialecto sua. Et tamen hi ipsi Arabes (si qua fides est Moslemorum historiis) litteris & scriptura caruerunt. Ferunt enim, scribendi artem demum, a Moramero filio Morre, non multis ante ortum Muhammedanorum annis, adiuuentam fuisse: cuius tamen peri-

peritiam tam raram exstitisse contendunt, vt negent in vni-
 versa Arabia felice quemquam Muhammedis auro potuisse,
 Arabice legere aut scribere, quemadmodum tradit *Ibn Chale-*
kan. Equidem hoc ipsum *Pocokius* in *Not. ad Spec. p. 154. seq.*
de Homeritis, Arabiæ felicis habitatoribus, intelligi non
 vult, (quippe quibus dudum scribendi artem innotuisse in-
 confesso sit, diuersam licet ab ea, qua postmodum vsi sunt
 Arabes); sed de *Coraischitis*, qui legendi scribendique, etiam
 tum Muhammedis tempore, ignari, adeoque אִלְמָוּן,
 hoc est, *idiota* (sicut & ipse Muhammedes contribulis illorum
 אִלְמָוּי אִלְנָבִי *Propheta idiota*) dicti fuerint. Sed ne de
Coraischitis quidem temere assentimur figmento potius, quam
 historiæ *Ibn Chalekanis*, vt ipsos in imperitia scribendi vniuer-
 sali hæsisse credamus.

§. VIII. Nam quis sibi persuadeat, vetustiores illos Ara-
 bes sermonis sui peritiæ & proprietati studuisse, carmina &
 orationes composuisse, & nihilominus destitutos fuisse o-
 ptimo & pæne vnico horum studiorum præsidio, scriptura
 & litteris? Etenim, Cicerone teste, *nulla res tantum ad dicen-*
dum proficit, quam scriptio. Aut quo pacto demum probabile
 fit, Coraischitas, commercia vndiq; & inprimis per Syriam
 Palestinamque excercentes, scriptionis beneficio carere vel
 voluisse vel potuisse, cum & mercaturæ ratio exposceret, &
 exterorum consuetudo atque exemplum offerret litterarum,
 inuentionem? Præterea parum apte cum hoc convenire vide-
 tur, quod alibi scriptores Arabum narrant, ante Muhammedem
 penes antiquissimos suos maiores fortilegii ritum fuisse per
 sagittas tres, quarum primæ inscripserint אִמְרָנִי רַבִּי *pra-*
cepit mihi Dominus meus, alteri אִמְרָנִי רַבִּי *interdixit mihi Do-*
minus meus, tertiæ vero nihil prorsus. Hunc morem obti-
 nuisse aiunt, non modo apud Homeritas, sed maxime apud
 Coraischitas, inprimis coram idolo *Hobal*, quod *Mecca* extra
Caabam stabat. conf. *Pocok. Not. ad Spec. Hist. Arab. p. 327.*

Hoc igitur si verum est (verum autem esse testantur ipsi), sequitur ergo, vt *Coraischita* & scribere potuerint & legere. Neque possunt etiam Moslemi, si Corano suo fidem facere velint, Arabiæ felicis incolis legendi artem negare, quippe a quorum Regina Muhammedes *Surab XXVII, 30, 31.* fabulatur Salomonis epistolam lectam fuisse: *In nomine Dei miseratoris misericordissimi, Præcipio vobis, ne vos efferatis contra me, & venite ad me, suscepto Islamismo.* Atque haud scio, annon alia quoque Corani fabula, quæ *Surab CV.* describitur, cum ficta hac Moslemorum traditione pugnet. narrat enim, **לפני אלהים** s. *socios Elephanti*, cum ad fanum Meccanum destruendum aduentassent, lapidibus de cælo tactos fuisse, & ita quidem, vt vniciuius lapidi inscriptum fuisset nomen illius hominis, quem ferire debuerit, tradentibus hoc *Muhammed Ibn Ishak, Said Ibn Gjobair*, aliisque in suis *Comment.* ad l. c. Verisimile est igitur nimirum, quia apud sanctam *Caabam* hæc gesta sunt, Arabice ista nomina fuisse scripta, & a Coraischitis lecta etiam. Præterea conciliare non possum, quod ipsi Coraischitæ, Muhammedis affectatores, seditiones Corani in palmarum foliis descripsisse feruntur, ex quibus præcipui *Ochman, Aly, Zaid, & Abba Ibn Caab;* vnde verosimile fit, scribendi peritiam Muhammedis æuo tam raram non fuisse, quam venditant Moslemi. Et mirum quoque est, quod cum Coraischitæ, Reipubl. principes & nobilissimi, litterarum inertes fuerint, tamen Muhammedes ipse aluerit scribas Arabicos ex Iudæorum pariter & Christianorum gente, qui dubio procul inibi sequioris fuerunt conditionis tanquam aduenæ. Ex quo sua sponte consequitur, iam Muhammedis tempestate peruulgatam fuisse Arabicæ scribendi legendique artem, quippe iam ad Christianos & Iudæos, provinciæ tantummodo inquilinos, deuolutam.

§. IX. Sed nunc forte quæsieris, nec sine causa, quid impulerit scriptores Arabes, vt tantam suis maioribus affixerint ignorantiam? Nos equidem, si quid iudicare possumus

mus, fraudem subesse putamus, qua fidum quoddam in propheta suo Muhammede miraculum stabilire tentant. Videlicet in Alcorano frequens illud est, vt Muhammedes se ipsum **אלאמי** *prophetam idiotam*, sed & populares suos **אלאמיין** *idiotas* vocet. Hunc titulum Moslemi doctores eo interpretati sunt, quasi & Coraischitæ fuerint *ἀγγάμματοι*, & Muhammedes ipse, antequam ei ficta contigisset revelatio, nec legere potuerit nec scribere, donec hanc facultatem vna cum prophetiæ dono, vi quadam admiranda accepisset. Non contemnendum miraculum, si probari posset, et si cetera se bene haberent. Enim vero vox **אלאמיין** *idiotarum* in earum numero reponenda videtur, quarum iusta & conueniens significatio, olim magis cognita, sequiori æuo siue per incuriam, siue de industria, cœpit esse ignotior. Nam in Alcorano ipso, vbi singula loca pensitaueris, **אלאמי** non tam *litterarum*, quam *vera religionis expertes* significare deprehenditur: secus ac Corani interpretes explicant, quibus sunt Arabes ita dicti, *quod nec scribere potuerint nec legere inter gentes*, vid. *Marraccii Prodr. Refut. Alcor.* P. II. p. 70. Ita e. g. Muhammedes *Sur. LXII, 2.* ait se missum esse, **אלאמיין רטולא פי** *inter idiotas apostolum*: atque vt intelligatur, quales *idiotas* in mente habuerit, statim subiungit: *Errant enim antea in errore manifesto*; quod quale sit, vel ex prima *Surab* pernosci potest, vbi qui falsæ religioni adhærescunt, dicuntur **אלצאלן** *Errantes*. Alibi vero (*Surab. III, 19.*) *Idiota* opponitur **אלכתאב לאהל** *populo Scripturæ*, id est, Iudæis ac Christianis, quibus obtigerat Scripturæ sacræ beneficium, & cum eo vera Dei notitia. Qua in re facem nobis præbuit Metaphrasis N. Testamenti Arabica *Erpeniana*; quæ *Act. XIX, 9. 16. c. XXI, 28.* Ἕλληνας, Iudæis oppositos, hac ipsa voce interpretatur **אלאמיין** *idiotas*, vt argumento sit, *paganos* seu *gentiles* homines isto vocabulo significari. Sic *I Cor. XIV, 16. 24.* quos Græcus textus vocat *ἄπιστοι καὶ ἰδιώ-*



ἰδιώτας, Arabica versio *Erpenii* nominat אִלְמַסְנָא וְאִלְמַסְנָא לֹא יוֹמְנִין & qui non credunt: neque alio vocabulo h. l. vtitur metaphrastes Arabs in *Polygl.* Quo pacto iudicandum quoque videtur de אִלְמַסְנָא לֹא יוֹמְנִין statu ignorantie ante Muhammedis tempora, (quæ & alio nomine אִלְמַסְנָא לֹא יוֹמְנִין tempora erroris Moslemi vocant) eum non tam referendum esse ad studia & litteras, quam ad religionem; sicut Paulus Act. XVII, 30. vocat τὰς χερόνους τῆς ἀγνοίας, quicquid ante annunciatum Christi euangelium fuit, etiamsi litteris quam maxime excultum esset.

§. X. Ceterum vt redeamus ad id, vnde paulisper digressi sumus, characterem illum, quo Homeritæ vsi, quique אִלְמַסְנָא dictus, a vulgari Arabum scriptura valde diuersum fuisse ferunt, litteris mutuo implexis ac parum distinctis; neque illo cuius, nisi post impetratam veniam, vti licuisse, *Walton.* in *Proleg.* XIV. p. 93. Istam autem scribendi rationem, quam *Moramerus* excogitauit, quæque nunc *Cusiensis* a *Cufa*, celebri ad Tigrim vrbe & academia, vocari solet, satis rudem esse, in antiquissimis Corani exemplaribus, (quæ tamen perrara sunt) itemque in lapidibus & librorum titulis reperiendam, testatur ibidem *Waltonus*. Specimen huius scripturæ vidimus apud summum Virum I. Ludolfum, ex quo etiam audiuius, antiquum codicem, istiusmodi characterem *Cusico* descriptum, in Bibliotheca Castellana extare, neque tamen ab vilo eruditorum hucusque legi potuisse. Sed ab hac scriptura rursus differunt elegantiores litteræ modernæ, quas trecentis fere post Muhammedem annis ab *Ibn Moklah* concinnatas, & ab *Aly Ibn Bowab* magis excultas fuisse, docet *Ibn Chalekan* apud *Pocokium* in *Nor.* ad *Spec.* p. 158. Earum plerasque a Syriacis characteribus formatas esse, *Erpenius* in Grammatica auctor est, qui septem scripturæ Arabicæ genera, hodie vsitata, recenset, adiectis eorum vsu & differentiis.

§. XI.

§. XI. Postquam Islamismus in Arabiam inuectus fuisset, fieri non potuit, quin & lingua mutationem pateretur haud exiguam. solet enim fere propter religionum conuersiones dicendi consuetudo immutari. Ac fuerunt quidem per nouam hanc religionem, partim noua uocabula in Arabismum introducta, partim quæ iam ante exstiterant, vel obliterata vel ad aliam notionem translata. Quod ut luculentius fiat, exemplis nonnullis efficiemus. Habuerat antiqua dialectus peculiaria mensium nomina, quæ a paganis fuerant indita. Ita *primus* mensis מחרם seu *illiciti* nomen habuerat, quod in eo אלקתאון אחרמון כאנו prohibuissent pugnam ceu rem *illicitam*; *nonus* uero אחר אלצכר שחר mensis *abstinentiæ* quondam uocatus &c. sed hæc nomina a Moslemis transmutata secundum temporum, in quæ inciderent menses, rationem; ita ut v. g. *nonus* uocaretur רמצאן, quod *æstus* in eo summus esset, quomodo de ceteris quoque iudicari potest. Sic עאשורא, *dies decimus mensis Moharram*, Arabum Grammaticis dicitur אסלאמי אשם *Nomen Islamiticum*; siquidem ea forma, prisca Arabibus ignota, cum Islamismo demum ciuitate Arabica fuit donata: nam Muhammedes eius diei ieiunium una cum nomine a Iudæis accepit, adnotante Pocokio in *Spec. Hist.* p. 310. Et *Abmed Ibn Ioseph* apud eundem Pocokium p. 317. 318. refert, apud paganos Arabes *diem Sabbati* אבנר שואר vel אבנר, *feriam primam* אול vel אול, *secundam* אהון vel אהון, *tertiam* אבנר vel אבנר, *quartam* אבנר vel אבנר, *quintam* אבנר vel אבנר, *sextam* deniq; אבנר dictam fuisse; quod secus est æo Islamitico, ubi dierum nomina ordine hæc sunt: יום אסבת, יום אלאחר, יום אלאתנין, יום אלתאא, יום אבנר, אלארכעא, אלאחמיס, יום אבנר. Immo in Corano plurimæ sunt uoces & loquutiones, quæ dum a Muhammede ad religionem ipsius sunt adcommodatæ, peculiarem vim obtinere, v. g. אהל אלקתאון *populus Scripturæ pro Iudæis*

⚙

& Christianis, אלמשרכון *affociantes pro idololatriis*,
 אלוקום *pro arbore infernali*, סדרה אלמנתהי *pro ar-*
bore paradisi; אלערפה *septimū calum*, אלואקעה, אלצאחה,
 item אלערץ, יום אלסאעה &c. *diem extremi iudicii*
 significant, voces ne genuino quidem Arabi intelligendæ,
 nisi Muhammedis doctrina antea imbuto. Quo pertinent
 illæ loquutiones פו סבול אלה *pugnare in via Dei*, i. e.
 aduersum infideles, פי קלובתם מרץ, *qui in cordibus suis*
habent morbum, i. e. *hypocrite* &c. Hæ & similes loquutiones
 Islamicæ probe sunt discernendæ, ne in exponendis illis
 confusio oriatur; quod multifariam accidere potest. Ex-
 emplo sit nomen קבלה, quod olim *regionem ex anteriore par-*
te seu *aduerso*, id est, *ab oriente* positam significauit, sicut
 Hebr. קום; in Corano autem speciatim denotat *ritum con-*
uertendi sese inter preces versus aliquem locum, e. g. versus tern-
 plum Meccanum, Hierosolymitanumque &c. quia igitur,
 conuersio ista apud Muhammedanos fit versus Meccam, quæ
 respicientibus meridiem vt plurimum tenet, inde post Mu-
 hammedis tempora vox קבלה nouam prorsus significandi
 vim induit, vt sit ipse *tractus meridialis*. Hoc sensu passim in
 modernis scriptoribus, etiam in Christianis & Iudæis, videas id
 vocabulum vsurpari, v. g. in metaphrasi Arabica Polygl. v. t. Gen.
 XII, 9. c. XIII. 13. & XX, 1. vbi בלר אלקבלה *terra conuersionis* ea-
 dem est ac ארץ הנגב *meridialis*; & in Versione N. T. Apoc.
 XXI, 13. vbi denominatiuum קבלי *conuersionalis* in Erpeniano
 codice, & אלקבלה מן *a conuersionis loco* in Polygl. respondet
 Græco ἀπὸ νότου *ab Austro*. Contra vero aliud nomen, ab
 eadem radice, אלקבור antiquam vim retinet, significans *O-*
rientalem. Inde in Metaphrasi Arabica Polygl. Exod. X, 13.
 אלקבור *antiqua* significatione est *Eurus* s. *ventus orientalis*,
 quippe cui v. 19. oppositus est ריח ערביה *ventus occidentalis*;
 sed metaphrastes Latinus, cuius versio de Arabico facta in
 Poly-

Polyglottis exhibetur, inconuenienter id vertit hic, & alibi pæne semper, *uentus meridionalis*. Videlicet vir bonus in hoc fuit incautior, quod vetustiore illum significandi modum cum moderno, seu Islamitico, incongrue permiscuit. Vnde qui ipsum Coranum non obiter perlustrarunt, eos haud difficulter intellecturos esse confidimus, quam necessarium pæne sit peculiare Lexicon Arabicum, quod Corano & reliquis scriptoribus religionis singulariter inferuiat.

§. XII. Ceterum dialectus Arabum, cum iam antea diues & copiosa exstitisset, post Muhammedis æuum, vbi studia bonarum litterarum sunt in Arabiam inuecta, multo cœpit fieri opulentior. Videlicet Græcæ philosophiæ disciplina, sub Islamismi initium, sicut & apud paganos Arabes, ignota fuerat; postea vero, quum sub *Hæschemidarum* principatu, & inprimis sub *Almansore* & *Almamone*, æstimari cœpisset, adeo quidem a Saracenis exulta fuit, vt, quidquid fere est non modo philosophicorum, sed etiam omnis generis antiquorum librorum apud Romanos, Græcos, aliasq; gentes, fuerit in illorum natiuum sermonem, principum mandato & præmiis, ab interpretibus doctis & peritis conuersum. Multis hinc ipsa lingua incrementis aucta fuit, quum notionibus illis atque terminis, qui in Theologia, Metaphysica, Logica, Physica, Medicina, Ethica, Politica, Iurisprudentia, Grammatica, Rhetorica & Mathesi, vniuersis denique artibus reperiuntur, essent aut vetusta ex Arabismo nomina accommodanda, aut noua adinuenienda. Quod quidem nemo mirabitur, qui id ipsum etiam Latinitati quodam modo contigisse sciuerit; in quam Cicero primus singula dialecticorum & physicorum vocabula (qualia sunt *phantasia*, *atomus*, *continuum*, *indiuuiduum*, aliaque huiusce modi complura vocabula, adhuc Latini inuseta) intulisse dicitur. Confer *Achillis Philerotis Boethii Epistolam de vita Ciceroni*. Sed hac quidem de re post hæc plura dicemus.

§. XIII. Enim vero cautione hic opus est, vt ne, quid-

C

quid



quid Arabismi nomine venit, id, quod ad stylum attinet, putemus pari elegantiae passu incedere. Nam ut cetera taceam, quae ad hunc locum dicenda forent, loquuntur sane Moslemi Arabice, loquuntur etiam Christiani & Iudaei Orientales communiter; exstant quoque ab omnibus pariter litterarum monumenta, Arabico sermone scripta: sed accidit fere, ut quanta differentia est in gentibus, tanta sit in dialecto loquentium dissimilitudo. Primo enim generale illud est in omnibus prouinciis, quae lingua Arabica velut vernacula vtuntur, ut loquantur aliter, quam scribunt; unde discrimen haud paruum existit inter vulgarem dialectum, & scriptam seu eruditam. Haec נורוי לסאן *Grammaticalis lingua*, illa autem simpliciter ערבי *Arabica* vocari solet. Deinde ipsius linguae eruditae inde a vetustissimis temporibus complures fuerunt dialecti, quarum aliae aliis vel meliores vel deteriores. Muhammedani denique, cum & imperium Orientis obtineant, & sacra religionis suae Arabico sermone, administrent, multo loquuntur & scribunt tersius Arabice, quam vel Iudaei vel Christiani; qui dum iugo Moslemorum premuntur, plerumque sunt abiectionis conditionis, nec volunt aut possunt tam facile de ornatu cogitare.

§. XIV. Quod ad vulgarem linguam Arabicam attinet, ab ea tam dissidet Arabismus, quo sapientum & eruditorum monumenta sunt prodita, quam dictio Homeri ab hodierna Graecorum dialecto, confirmante id ipsum *Nicol. Clenardo* Epist. lib. II. pag. m. 260. Hoc tamen commodi habent linguae Grammaticalis periti, ut possint, exiguo tempore & labore, vernaculi sermonis noticiam haurire, quibusdam praecipis & obseruationibus adhibitis. Nam voces quidem in libris usurpatis plerasque in familiari sermone retinent; nisi quod aliquae illarum in desuetudinem abierint, aliae autem propter frequentem usum fere corruptae sint. Sed in pronuntiatione & maxime in vocalium elocutione differunt. Solent enim vltimarum syllabarum vocales inter loquen-

quendum negligere; nisi forte quiescens littera א in fine sit, quo casu vocalem pronunciari non minus fas est in vulgari, quam in erudita lingua. Ita cum loco vltimæ vocalis in pronunciando ponatur *Gjezm*, sequitur vt, sequente *Eliph vnionis*, sub vltima consona concipiendum sit *Kesre*. Pro ה usurpant א quiescens, aut saltem puncta diacritica omittunt, vt sit instar Hebræorum ה quiescentis; sin *Eliph vnionis* sequatur, effertur tanquam ת cum *Kesre*. Denique *Fatha* frequentius, quam in Grammaticali pronunciatione consuevit, tanquam E, & *Dhammah* vt O, pronunciatur; *Kesre* vero interdum sonat E obscurius, inprimis sub ו & י medianis, præcedente *Eliph* quiescente, vt *Saied* pro צאיר &c. aut si sequatur ׀ vel ׀ *gjezmatum* vel *teschdidatum*, vt *alébm* pro עליה &c. Præterea או *gjezmate* post vocales suas fere quiescunt, vt *aléb* pro עליה *alaibi*, *schabren* pro שחרין &c. *salid* pro תוליד *tawlidon*. Porro Grammaticas leges, & inprimis canones litterarum או, fere negligunt; nam הו scribunt & pronunciant pro הול *dulcis fuit* פלו pro פלו *mensi sunt*; Accusatiuo præponunt ל more Chaldæorum; pro Feminino adhibent etiam Masculinum, maxime in Affixis; Futuri primam Personam pluralem pro singulari; secundam Coniugationem pro quarta; syntaxin accuratam Nominum numeralium non obseruant. Litteras denique ץ & ט/ ה & ט/ ד & ז/ ן & ץ/ interdum confundunt; & quæ sunt eius generis alia, de quibus partim videri potest *Erpenii Prefatio in Pentateuchum Arabicum*. Accidit, eos aut noua vocabula habere, vt אש vel אש pro אש *quid, quomodo*, אשע pro אשע *nunc*, אשע pro אשע *forte*; aut si qua antiqua retinent, iis tamen significationem nouam tribuere, אשע *interrogatio* pro אשע vel אשע *res, aliquid*, אשע *fecit* pro אשע *immisit* vel אשע *posuit*; aut denique habere suas peculiare voces, quæ

quidem ab Arabismo scripto non prorsus exsulant, sed tamen in eo tam frequentis vsus non sunt, quam in vulgari lingua, v. g. מליח pro חסן *pulcher* קרבו pro אתי *aduenit*, פתש *quasuit* &c. Edidit huius linguæ rudimenta P. Dominicus de Silesia, quæ Romæ anno 1636. impressa sunt, teste I. Ludolfo in *Gramm. Aeth.* p. 182. Sed etiam ante hunc, id est, initio sæculi decimi quinti, Granatæ in Hispania alius eiusdem argumenti libellus fuit excusus, quem *Clenardus* in Epistolis suis aliquoties laudat. Ceterum exempla vulgaris linguæ Arabicæ poterit, qui volet, euoluere apud I. Ludolfum in *Gramm. Aeth.* recentioris editionis p. 183. & in *Comm. Hist. Aeth.* p. 563.

§. XV. Inter dialectos linguæ Arabicæ cum primis insignes sunt ערביה חמיר *Arabismus Homeritarum*, alias לעה ימן *Iemanica dialectus*, & אלערביה אלמחצה *Arabismus purus*, qui etiam קריש ערביה *Coraischitarum*, & in Corano לסאן ערבי מבין *lingua Arabica perspicua* vocitatur. Vtrique tam *Homerite*, quam *Coraischite*, nobilissimas Arabicæ familias olim constituerunt; illi quidem Arabiam felicem, hi autem Meccam insidentes. Ferunt *Homeritarum* dialectum Hebraico, vel saltem Syriaco idiomatici, propinquiorem fuisse: namque eos dixisse ותיב *sedere*, sicut Syri & Chaldæi ותיב & Hebræi ישב; idem vero verbum *Coraischitis* fuisse, *saltare*, Pocok. *Spec. Hist.* p. 152. Sed *Homeritarum* dialectus per Islamismum oblitterata tandem fuit. *Coraischitarum* autem linguam volunt multo fuisse politiore: cuius rei rationem ex *Gjalaloddino* reddit *Pocokius Spec. Hist. in Not.* p. 152. quod *Coraischite*, ædis Meccanæ æditui, & Arabicæ centrum incolentes, non solum a ceteris gentibus (quarum vicinia & commercium sermoni reliquarum tribuum aliquid vitii dederat) remotiores fuerint; sed &, congregatis vndequaque Meccam Arabibus, (tum religionis causa, tum vt lites suas Meccanis diiudicandas committerent) ex eorum sermone carmi-

ni-

nibusque puriores ac elegantiores quascunque voces, phras-
 ses, & loquendi formulas suas fecerint, adeo vt in *Coraischi-*
tarum dialectum omnes vniuersi, quaquā patet, Arabismi e-
 legantiæ confluerint. Ceterum, præter has duas præcipu-
 as dialectos, complures aliæ fuerunt, ex quibus animaduerti-
 mus ab interpretibus Corani subinde citari לעוה הזומה
 dialectum *Chazima*, טי לעוה *Taiensem*, הויה לעוה *Hudei-*
liticam &c. Est et alia *Hadbramautica*, a *Chatramois* medi-
 terraneis Arabiæ habitatoribus dicta, quæ, teste *Bochario*
 in *Geogr.* s. pag. m. 114. hodie contemnitur maxime, & vt
 barbara reicitur. Inde enim אלהצרמיה *barbaries lingua*,
 חצר male pronunciauit in sermone, præsertim vocales, &
 מאער שער *poeta vocibus barbaris vtens.*

§. XVI. Quantum denique ad Christianorum Iudæo-
 rumque dictionem Arabicam; ea, si cum stylo Muhammeda-
 norum comparetur, minus accurata & minus elegans cen-
 setur. Nam superquam, quod communiter vtrique Gram-
 maticæ legibus haud vsque adeo exacte congruunt, Iudæi qui-
 dem Hebraismos, Christiani vero Syriasmos, aut aliud quid
 peculiaris phrasos frequenter admiscunt. Hoc licet in pri-
 mis observare in metaphrasibus illorum Biblicis; velut in Pen-
 tateucho Arabico Erpeniano, qui per Iudæum quendam de
 textu Hebraico totidem verbis est conuersus, heic pene ver-
 ficulus nullus est, cui non sint vestigia siue vulgaris dialecti, siue
 Hebraismi, impressa: vt quando Pluralem numerum vsurpat
 pro Duali, Futurum pro Imperatiuo in præceptis affirmanti-
 bus; aut quando adhibet tertiam personam pluralem Præteriti
 נצרוה in vtroque genere, אלוהי qui in quolibet genere &
 numero, item pro חתי אלהי quod, חתי אלהי pro חתי אלהי
 vsque dum, לאלוהי indifferenter pro כי, siue quia significet, siue quod
 &c. Ceterum alia Versio Pentateuchi Arabica, quæ in Poly-
 glottis comparer, etsi primum ab Iudæo itidem elaborata fue-
 rit, tamen quod floridius & ad Arabismum propius accedens

dicendi genus habet, haud indubie a Moslemo, aut Moslemicæ eruditionis & gratiæ sectatore, fuit expolita : quæ conjectura est sæpius a nobis laudati *Pocokii* in Præf. ad Varr. lect. versionis Arabicæ. Certe nos haud parum in hac sententia confirmat, quod obseruauimus, in hac versione passim adfectari dictionem Coranicam, quippe ad quam veluti normam Muhammedani fere exigunt scripta sua. Ita v. g. Exod. XI, 7. pro *לֹא יִנְבַח כֹּלֵב* Arabs habet cum additamento *לֹא יִנְבַח כֹּלֵב וּמֵא פֹקֵה* *Non latrabit canis & quidquid est supra ipsum*, quæ loquutio est ex Corani *Surab II, 24*; Gen. XXIV, 27. pro *בְּדֶרֶךְ* ille *מִסְתַּקִּים* *פִּי טְרוּק* *in via recta*, quod epitheton in Alcorano frequens. Ita quum Dei nomine prophetæ ad populum loquuntur, eum actum exprimit vsitatissimo Muhammedis vocabulo *תִּלָּא* *recitauit publice*, v. g. Exod. XIX, 7. &c. Ceterum de Christianorum stylo, vt constat quid sentendum sit, malumus *Golii* verbis, quam nostris, edisserere. Is post Erpenii Grammaticam coronidis loco adposuit Homiliam Arabicam Eliæ III. Patriarchæ Antiocheni; quem laudat equidem propter ornatioris styli culturam, nihilominus tamen in præfatione, *Homilia hæc*, inquit, *pro genuino adeo Arabicæ lingua factu censenda non est, quam si a mero & vero Arabe concinnatam constaret. Nam licet Arabicam pro vernacula habuerit idem Patriarcha, tum & cultura eiusdem curam operamque dederit; utriusque tamen speciminis facta comparatione, discrimen facile apparebit: scilicet accuratam minus hic esse dictionem, quandoque etiam Syris aut Mesopotamiis, nec non Christianis peculiarem.* Tantum igitur de hac caussa.

§. XVII. Muhammedanis ergo (si quærimus, qui vni ex omnibus Arabismi purioris gloria antecellant?) principatus omnino & palma danda est. Neque enim vernaculam solum illam linguam plurimi habent, sed etiam, qui litteras profiteri volunt, a teneris pæne vnguiculis summo studio prosequuntur. Quem ad finem comparatæ sunt apud ipsos tot frequen-



quentissimæ academix, Cufa & Basora in Babyloniis, Damascus in Syria, Cairum in Aegypto, Maroccensis, Fessana, Tunetana, Constantinensis in Africa, cum aliis multis: in quibus post scientiarum doctrinam in aliud fere nihil, quam in Arabicam venustatem & eloquentiam, incunbunt. Secundum Grammaticam toti sunt in legendis Alcorano aliisque melioris notæ scriptoribus. Alcoranum enim præ ceteris ita admirantur, vt negent vllum librum Arabice exstare, qui sermonis elegantia dicendique facundia comparandus ei sit. Vnde etiam, quod *Golius* in *Append. Gramm.* p. 174. ait, ad eum ceu ad lydium lapidem religiose explorare solent, quascunque possunt de lingua sua præceptiones: eundemque, vt *Hinckelmannus* in *Præf. Corani* obseruat, *tam familiarem habent, vt non facile scriptum vllum Arabicum inuenias, in quo non Corani sententia & historiae passim citentur, partim ad easdem alludatur.* Ex quo magis patet, quo in pretio apud nostros etiam homines, Arabismi studiosos, Alcoranus ratione styli habendus sit, & quanto fructu se priuent, qui, dum ad solidiorem ejus linguæ noticiam adspirant, tamen ab hujus libri lectione non faciunt fundamenta & primordia. Ceterum vt habeat gens Arabum in dialecto sua doctissimos viros; nihilominus doctrinæ modus, quo plerique vtuntur, est paullo operosior. De Fessanis professoribus id luculenter testatur *ἀντόπτης* *Clenardus* in suis Epistolis pag. m. 63. *Est, inquit, apud eos hic mos: statim a primis annis ad verbum ediscunt Alcoranum, & insigunt memoriæ librum, quem non intelligunt. Nec tamen vllis in scholis hic comparet codex: sed ludi magister e memoria depromit pensum, & in tabula lignea describit. id puer reponit in animo, & postridie alterum scribitur pensum, donec anni aut biennii spatio totum ediscat Alcoranum. Multo plures reperias, qui teneant sic Alcoranum, quam qui ipsum habeant domi codicem. Post hunc ad verbum ediscunt libellum, qui dicitur *סנהא* (*Sonnab*), in quo præscriptæ sunt gentis cerimonia. Nec tamen eis quidpiam declaratur, nisi quantum adsequuntur commercio sermonis vernaculi, qui tametsi distat multum ab ea ratione,*

qua

que conspicitur in libris, tamen magnum adfert aditum ad percipi-
 enda pleraque vocabula. Hinc iam pergunt ad Grammaticam. Est
 que apud eos receptus auctor Ibun Melic, qui cibiliade versuum, id est,
 mille distichis complexus est vniuersam Grammaticam. Hanc cibi-
 liadem difficilem admodum e tabulis suis commendant memoria, &
 quotidie apud præceptorem pensum reddunt, domi interim lectitan-
 tes glossemata. Nam in scholis nullus comparet liber. In hac Gram-
 matica ferme biennio versantur, aut quadriennio etiam quidam.
 Porro auctoritates citantur a Grammaticis ferme ex Alcorano, &
 hic iam fructum percipiunt memorie: citantur crebro etiam poetæ,
 quibus abundant Arabes. verum sic hæc poetica discipulus intelligit,
 vt carmen Ennianum Thomista, &c. Quare nec mirum videri
 debet, quod & Clenardo huic & Poffello, inter Arabes ma-
 gistros versatis, accidit, vt cum methodi ex reliquarum O-
 rientalium analogia intelligentiores essent, adeoque celerius
 in Arabismo proficerent, alter quidem summæ admirationi
 fuerit, alter vero etiam dæmon ab ipsis nuncupatus.

§. XIIX. Deinde qui prouectiores in idiomate suo sunt,
 illis ad vberiore[m] eius culturam inseruiunt scripta horum, qui
 pænes ipsos honoris causa vocantur *אַנְטִישְׁטֵן אַרַבִּישֶׁן* *antistites*
linguæ, vel *אַרַבִּישֶׁן פֿוֹלְק* *populus significationis*. Quo qui-
 dem titulo ornantur communiter, quicumque Arabicæ di-
 ctionis laude floruerunt, speciatim tamen Lexicographi &
 Poetæ. Ex numero Lexicographorum duo cum primis in
 Oriente celebrantur, *Gieubaris* & *Firuzabadius*, hic recen-
 tioris, ille antiquioris & maxime docti æui scriptor; hic de-
 lectu vocum adhibito commodus, ille luxuriante copia abun-
 dans: vterque autem Latinitati donatus, posterior quidem
 a *Giggeio* apud Italos, prior autem a *Golio* in Batauis. Poe-
 tas vero tantopere æstimant, vt eos præ ceteris linguæ cu-
 stodes ac conseruatores nominent. Exstat hac de re exi-
 mius *Gjalaloddini* locus in *Wasmuthi Parenesi de lingua Arabica*:
Poesis, inquit, fuit olim apud Arabes *synthagma scientiæ*, & *ulti-
 mus sapientiæ eorum terminus*, vnde que illis vsui, depromebant, &
 quo

quo omnia referebant. Plura autem, quæ ad hanc rem spectant, habet *Pocokius in Spec. p. 158. seq.* Vnde contingit sæpius, ut viri docti a poetis non modo loquendi normam, sed & explicandi iudicandique regulam (sicubi dubitatio exstiterit) desumant. Laudat ex Arabum poetis *Golius in Append. Gramm. p. 226. & 248.* maxime *Abulolam Moarrensem, & Mutenabbim; Hinckelmannus* vero in *Præf. Corani Adamum Muhammed Said Ibn Phatalla.* De Poesi autem vniuersa Arabum integrum tractatum edidit *Samuel Clericus σὺνταξις* in edendis Bibliis Polygl. uti cognosci potest ex *Prolegomenis Waltoni p. 93. §. 3.* De Oratoribus, inter quos eminere fertur *Haririi* opus; de Historicis, quorum princeps & eloquentissimus est auctor *historia Timuri;* & de Philosophis, qui sunt permulti; denique de omnium generum scriptoribus Arabicis nihil nunc speciatim agere attinet, quandoquidem ea opera peculiarem tractationem desiderat.

§. XIX. Sequitur nunc, ut de linguæ vel facilitate, vel difficultate, nonnulla subiiciamus; ut qui ad culturam eius se volunt accingere, intelligant, quale studium sibi suscipiendum proponant. Equidem si doctorum quorundam iudicio res constare, neque præterea quicquam æstimari debet, videntur meliora quæque & prospera de hac dialecto speranda esse: solet enim vel ipsius facilitatis causa, a quibusdam commendari. Certe *Waltonus in Proleg. p. 94.* cum *Erpenio* tam expeditam contendit esse Arabismi rationem, ut si quis paucas horas ei quotidie impendat, intra 4. vel 5. septimanas lingue fundamenta addiscere possit, & breui laudabiles progressus facere: multo enim faciliorem esse *Græca vel Latina, etiam Hebraica, cuius difficultates & anomalias, & punctorum mutationes fere ignoret.* Immo, paucis interiectis pergit *Waltonus, facilitatem tantam esse, ut sine magistro addisci possit;* citatque *Scaligerum Epist. 361. ad Steph. Vbertum, Quod unicum supererat mihi profugium, eo usus sum, ut me ipso magistro vterer, quando quidem meliorem nancisci non potui.* Enim vero si de Gramma-

Bibliothek der
Deutschen
Morgenländischen
Gesellschaft

D

tica

tica linguæ Arabicæ solum ista dicantur, fatemur & nos, difficultatem vix vllam magnam esse: quamuis in tam varia & copiosa lingua etiamnum desideretur iusta syntaxis, haud dubie necessaria & fere princeps pars Grammatices. Sed si de vniuersæ linguæ complexu sententia sit, nullo modo tantam, quanta heic prædicatur, admittere possumus facilitatem: & iure videmur mirari, qui factum sit, vt *Scaliger* in præsumptæ huius facilitatis consortium arreptus fuerit. Quid ait igitur *Scaliger*? dicitne tam facilem esse linguam? minime. Immo dolet, sibi præceptorem hac in re nullum contigisse, vt tandem coactus fuerit, se ipso magistro vti. Quod vt magis intelligatur, audiamus quæso eundem *Scaligerum*, alibi de se restantem: *Quo plura lego, inquit, eo me huius (Arabicæ) lingua imperitiorem sentio; postquam auctorem quendam bene videor intellexisse, quum ad alium me confero, in alio mundo me versari puo.* Cui lubens quoque adsentitur, quem honoris causa sæpius nominamus, *I. Ludolfus* in *Præf. ad Append. Hist. Aetb.* max me conquestus, *linguam Arabicam perplexam esse, abstrusam & luxuriantem.* Nec possunt ista de facilitate Arabismi encomia aliunde profecta esse, quam ex nimio eius commendandi studio: quemadmodum fieri aliquando solet, vt si quem ad hoc vel illud extimulare velis, largius forte de illa re loquaris, quam rationes eius permittunt, negesque vllam ei difficultatem inesse. Et hac ratione, id est, benigne interpretamur etiam *Wasmuthum*, qui in *Paranesi* sua ad studium Arabicum sic scribit: *Si recte calculum posui, plerosque hæcenus ab his litteris retinuisse existimo, illam in lingua huius cognitionem penetrandi difficultatis persuasionem: quam quidem vt falsissimam, esse constanter edico, si aut rehemata lingua originalia horumque derivata perpendamus, (vt quorum nulla lingua minorem discendi vel necessitatem facit vel difficultatem) aut ipsum idioma huius lingua atque genium, quamque ille facilem ac succinclam præceptorum, nullis fere anomaliis laborantium, compagem non magis postulet, quam admittat &c.* Omnino enim Arabicum idioma multo est



est ad comprehendendum difficilius, quam vel Latina lingua, vel Græca, vel Orientales omnes ex Hebraismo oriundæ: id quod nobis facilius credent, quos linguæ illius cultura diutius occupatos tenuerit. Ac iuuat cum primis errorem suum illis euellere, qui quando vnam vel alteram Grammaticæ regulam ingenio comprehenderunt, vel ratione qualicumque & superficiali aliquid cœperunt legere, statim sibi videntur in possessionem linguæ venisse, concipientes animo nescio quem negotii ludum & discendi compendium. Nostrum autem iudicium, ex sequentibus momentis speramus haud difficulter confirmatum iri.

§. XXI. In ipsa lectione, quæ quidem in elementis solum & primis linguæ principiis versatur, tamen dici non potest, quantum difficultatis sit. Sine vocalibus plerumque, (solus enim Alcoranus ferme est, quem punctis vocalibus, notis diacriticis, & distinctiori scriptura ornant) Arabes scribunt; adeoque oportet eum, qui ad scripta eorum legenda se voluerit accingere, aut iam instructum esse solida linguæ notitia, aut nisi hoc sit, Lexicon perpetuo & Grammaticam haud parum terere, vt videat, quæ vocales voci sint substernendæ, indeque quæ significatio ad contextum ex tanta notionum multitudine potissimum quadret. Sunt enim in Arabismo complures Verborum Nominumque formæ, quæ, cum puncta absunt, variis modis possunt legi, quorum neuter analogiæ Grammaticæ repugnat. Hic igitur aqua hæret, neque interdum quid statuentum sit, sciri potest, nisi subuenerit scribarum industria. E.g. *לְתַבְעֵתָן* potest legi per singularem *latob'athanna, excitaberis*, sed & per pluralem numerum *latob'athonna, excitabimini*: quod si per contextum minus sit euident, MSta accuratiora minusculis litteris substernunt pronomina *אתָ Tu*, vel *אתם Vos*; hoc quidem ad pluralem, illud

vero ad singularem denotandum. Præterea qui MStos libros versare voluerit, habebit in quo laborem & patientiam exerceat, antequam vel nudas consonantes a se mutuo dignoscere possit. Nam vt taceam ista septem scripturæ Arabicæ genera, *Nischi, Taalik, Diwani, Kirmab, Schulsi, Lakuti & Rabaani*, quibus octauum *Mauritanicum* addit *Erpenius* in *Gramm.* quæque in vniuersum a se inuicem diuersa sunt; insuper extra Alcoranum (quem nitidissime semper scribunt) quisque liber suam peculiarem ferme habet scribendi modum, vt si in vno putes te satis versatum esse, & iam ad alium pergas, ab ovo, quod aiunt, res velut inchoanda sit, propter scripturæ diuersitatem.

§. XXI. Accedit difficultas in litterarum pronuntiatione, cum propter mirabiles illos sanos ع ع ه ن , quos Europa exhorrescit propemodum, tum quod plures litteræ in Arabismo sunt, quæ in eloquutione, præcipue a nostris Germanis, difficulter admodum discernuntur, v. g. ر & ز ; س & ث & ط & ظ & ق & ك , ex quarum tamen confusione non potest, quin sensus subinde peruertatur, turpissime.

§. XXII. Sed omnium maxime copia vocabulorum & phrasium est, quæ Arabicam linguam facit arduam & difficilem. Nam quod de linguis generatim non nemo obseruari dicit, quasi Asiaticæ vocum multitudine graues, sed paucitate variationum leues sint; id quidem in Arabismo & verum esse potest & falsum: verum, quod ad prius attinet, falsum, quod ad posterius. Certe Arabica lingua si sermonis varietatem & copiam spectes, non modo non cedit Europæis dialectis, sed etiam superat easdem. Qua in re sentiunt nobiscum Viri Clarissimi. *Waltonus* in *Proleg.* p. 94. *Emphasis*, inquit, & *apta vocum significatio, rerum ipsarum naturam plene exprimentes, phrasæ porro & formulæ, tanta gratia & venustate polent, vt Græcorum χαρίτες, cum his collatæ, ἀρχαίτες, & Latinorum gratia ingrata videri possint.* In hac tamen copia vocum

compositionem non agnoscit; omnia tamen linguarum aliarum composita plene exprimit, maxima coniugationum varietate, quibus significationis vis multum variatur. Etiam Pocokius de vbertate linguæ Arabicæ peculiarem habuit orationem, ex qua decerpta quædam videri possunt in *Schiefferdeckeri* Dissert. de *Fructu ling. Arab.* §. 5. Idemque Pocokius in *Not. ad Spec.* p. 153. ait, extare Arabum libros, vnum de quingentis nominibus *leonis*, alium de ducentis *serpentis*, de octoginta *mellis* alium, alium denique de mille, & quæ excedunt, *ensis* nominibus. Ac refert inibi, ipsos negare Arabes, posse quemquam, nisi prophético Spiritu adflatum, vniuersam linguæ suæ ambitum comprehendere; neque existisse quenquam, qui omnes eius thesauros exhauerit. Quo loco id tamen necessè habemus monere, existimandum non esse, quasi tam diues & copiosus vbique Arabismus sit, quin suis & ipse laborer aliquando defectibus, cum primis in vocum etymologia. Fatentur hoc itidem ipsi Arabes, multa nomina dicentes rebus olim, esse imposita ob causas, *עלמיתה אלערב וגוהלנחה*, quas sciuerint antiqui Arabes, nobis vero ignotas: quod *Gjalalodinus Affoyutius* iis regerit, qui omnium vocabulorum rationem reddi postulant, præsertim cum bona pars linguæ in desuetudinem abierit. Vid. *Pocok* Spec. p. 94.

§. XXIII. Ceterum vt multa reperiuntur apud Arabes vnus rei nomina; ita vicissim vnum nomen multas res simul denotat: id quod vbiuis fere, nec sine magno tironum euoluentium tædio, obuium est in *Goliano* Lexico. Solent enim ex hac homonymia maximæ suboriri difficultates, in legendis Arabum scriptis, aliquando & versiones ridiculæ. Cuius rei lepidum exemplum in *Elfara Comment. ad Alcor.* obseruatum a nobis est. Dixerat enim Muhammedes, in extremo iudicio solem ab hominibus abfuturum esse tantummodo *מיל אן מילין* (possunt autem hæ voces vel *milliare* vel *specillum ocularium* &c. significare;) itaque *Selimus* quidam fertur dixisse:

לא אדרו או אלמולין וענו מסאקה אלארץ או אלמיל
 : Nescio, virum מיל intelligat? illud-
 ne, quod terra spatium significat, an quo collyrium oculo inditur?
 Sane istiusmodi voces ambiguæ permultæ sunt: ex quibus
 vnicam modo ענו nominamus, quæ LXXXII significatio-
 nes admodum differentes habet. Solent tamen Arabes, qui
 in scribendo accuratiores sunt, huic incommodo utcumque
 obuiare, dum vocabulis huiusmodi substernunt synonyma
 clariora, litteris subtilioribus expressa. Ut in *Comm. Elfare*
 ad *Sur. LXXIV, 12.* dicitur: *Erant ipsi inter Meccam & Taif came-*
li, & equi, & boues; & erat ipsi עין NB. aurum multum, & ser-
vi, & naues. Quæso! quis coniecturam facere potuisset, עין
 hoc loco significare pecuniam siue aurum, nisi scriba subiecisset
 vocem magis intelligibilem? ררה? Nam statim legenti in
 mentem ventura fuisset notior & magis crebra significatio *fon-*
tis, quam neque huius loci contextus respuit.

§. XXV. Accedit, quod vocabula Arabica ad significan-
 dum tantæ sunt latitudinis, ut, siue in Latina siue in Germani-
 ca lingua, non possint, nisi per vnum aut etiam plura sermonis
 commata, circumscribi. Exempla sunt v.g. in *Alcorano Sur.*
V, 102. בחירה *Pullus camela decimus, quem aure mutilatum di-*
mittere, & sua libertati relinquere solebant Arabes antiqui;
 סאיכה *Camela ob decem femellarum partum a labore dimissa;*
 חאח *Camela ob multorum pullorum genituram immunis a labo-*
re; וצילה *Ovis, quæ post sextam binarum femellarum feturam se-*
ptimo partu marem edit & femellam. Sic עאר *Absorpta fuit*
 aqua in terram vel arenam, propter nimiam vim æstus seu so-
 lis, Germani itidem vna voce feliciter exprimunt *versiegen;*
 צאפנאח *Equi generosi in tribus pedibus consistentes, ita ut quarta*
ungula anterior tantum pars terram contingat; רצאע *Auarus, lac*
pecoris sui lactendo hauriens, ne quis, mulgentis strepitu audito, ac-
cedat, ut bibendum quid petat. Ex his & aliis exemplis conie-
 cturam facere licebit, quam non sit nullius pæne negotii res
 Ara-

Arabismus, ac sibi suauiter nonnulli imaginantur, sed tam ardua potius, quam molestum est, plures ideas sub vnius vocabuli vehiculo menti imprimere.

§. XXVI. Est & hoc inter præcipuas difficultatis causas connumerandum, quod in vocabulis Arabicis persæpe, vix indagari potest ea significatio, quam Arabes *هنا* radicalem, Latini vero *primam & formalem* dicunt: deflexerunt enim vt plurimum ad *alienas* notiones per immutationem, Græcis *εργάσιον* nuncupatam. Sunt autem tria præcipue, vnde magna pars linguæ velut per tropum ducitur, *Camelus*, *Palma* cum *Dactylis*; tanto quidem nobis ad pernoscendum scopulosiora, quanto in Europa reperiuntur rarius. Patebit id meridiana luce clarius, vbi vel Golii Lexicon Arabicum leuiter fuerit inspectum, in cuius singulis fere paginis trium istorum mentio fit. Digna autem sunt, quæ lectorum oculis subiiciantur, hac de re Golii verba, in *Præf. Lexici* §. *Hactamen* &c. *Speciatim*, inquit, *videbor forte non multis peccare, quod his tam multa infarsa sint, quæ camelo, palma, dactylis, similibusue rebus attribuantur; de quibus haud multa aut perrara soleat mentio fieri. Hæc quidem ita responsum velim: cum minime superfluum sit in linguarum studiis, vbertatem earundem & proprietates cognosse; tum eiusmodi res negatas Europa atque inusitatas, illi genti notissimas esse & indigenas, ab ipso ortu lingua sue familiares, scriptisque passim celebratas; & de quibus plurima memorantur cognitu minime indigna. Et paucis post, Quin vocabula multa eiusmodi rebus primitus fuisse imposita videntur; quæ ad alias deinde, etiam toto genere diuersas significationes, præ similitudine aliamue ob causam, translata fuerint. Vnde dubia complures & obscura origines in hac lingua, reliquisque cognatis, commode sæpenumero illustrari possint. Quod ad camelum nominatim attinet, ab eo tam crebras denominationes fieri, non est magnopere mirandum, si consideraueris, victum, diuitias & cuiusuis pæne commoditatis instrumenta Arabibus per hoc animal parari. Vnde Muhammedes *Surab* LXXXVIII, 18. cum*
Dei

Dei immensam potentiā a rebus creatis notabilioribus laudat, iubet vna cum cælo, montibus, terra, præcipue camelos intueri: cuius argumenti vim commentator *Elfasa* non inepte declarat ex ipsius Arabiæ conditione. ait enim: *camelos fuisse viduum Arabum, & multis utilitatibus apud eos fuisse.* & paullo post addit ex mente *Elhasani*: *Elephantem esse quidem stupendum animal, sed Arabibus ignotum; suam vero talem, ut neque in dorso eius equitari, neque caro eius edi, neque vber eius mulgeri possit: sed camelos esse maximas diuitias Arabum, quippe in quibus prædictæ utilitates coniunctim sint.* Quia igitur familiaris rei cardo apud Arabes pæne vnice versatur in camelorum vsu; inde, de iis sermo frequens: aliquando & cultus religiosus iis exhibitus; quin hoc ipsum animal in eorum numero Muhammedes reposuit, quæ paradysum olim ingressura sunt, *Surab XXXIX, 8.* Pecuariam quoque linguam effecerunt Arabes, *Scenita & Nomades* quondam dicti propter pecoris cultum quotidianum: modo ne, quia ipsi obscœni simul & ad libidinem procliuēs, linguam quoque suam obscœnitate conspurcassent. Certe notabile est, Arabes eodem nomine, חנדרך quo *admissarium equum* denotarunt, voluisse quoque *poetas suos insigniores & oratores disertos* vocare, & immutata paulisper forma חנדריתן *obscœnum lingua.* Omnino dialectus Arabica tam casta non est, ac mater Hebræa, quæ quia ab obscœnioribus loquutionibus solícite abstinet, iure meritoque suo לשון הקודש *lingua sancta*, vel ob hanc rationem, dicitur. Neque de dactylis palmisque, quæ amplissimi sunt, vsus apud Arabes, potuit non ingens multitudo vocum exsurgere, si vera sunt, quæ Iudæorum magistri in antiquo libro הכהיר fol. 9. col. 4. de hac arbore commemorant. aiunt enim יש כתמרים ע מינים רכתיב ע תמרים ולא היו רומים אלו לאלו ופעולתם זה לזה ומעם זה אומן *Sunt palmarum septuaginta genera, sicut scriptum est Exod. XVI, 1. Erant ibi 70. palmæ; neque similis vna alteri est vel operatione vel gustu.*

§. XXVII.

§. XXVI. Porro ad Arabisini difficultates accenseri debet, quod magna pars vocabulorum, credo propter frequentem itonix vsum, contrariam significandi rationem, vna cum notione propria & genuina, habet. Vt כעל (coll. *Jos. Kimchio* ad Ier. III, 14.) *Vxorem duxit & repudiavit*; אסר *afarra celauit & diuulgauit*; סלע *Accessit regionem & absuit*; צד *Contrarius & similis*, quod est illud ipsum vocabulum, vnde Arabes istiusmodi nomina contrariæ significationis אלמצראד i.e. *contrario similia* vocare solent. Vberiore catalogum vide in *Pocokii Noris miscell.* p. 22. 23. &c. Neque minus huc pertinent multiplicatæ vnius nominis formæ, manente eadem significatione, vt אצבע & אצבע אצבע אצבע אצבע *digitus* &c. vbi diueritæ vocabulorum formæ, ab eodem themate formatæ, quæ vocalibus quidem parum, significatione vero prorsus differunt; vt a קפר fit *Kafir* desertum, *Kafir* imminutio opum, *Kafir* lupus, *Kafir* panis simplex sine obsonio, *Kafir* spatha, & *Kafirab* pauca carnis mulier. Adde etiam, si lubet, multitudinem Verborum Nominumque auxiliariarum, sermonis compositioni peculiariter inseruientium; qualia ex Nominibus sunt אב / אב / אבן & בנת &c. quæ singula si in *Goliano Lexico* euolueris, miram inuenturus es compositionem vsumque mirum. nam v.g. אבו גער *pater crispî crinis est vulpes*, אבו טאלב *pater petentis est equus*; אמ אלאמאל *mater opum est ovis*, אמ אלארמח *mater basta est vexillum*; אבן אלאים *filius dierum est erumna*, אבן אלארץ *filius terra est peregrinus*, אבנא גמר *filiî conuentus*, i.e. *nox & dies אלצור filia petentoris*, i.e. *cura*, בנת אלגבל *filia montis* i.e. *echo*, &c. Præterea ad discendum valde molestum est tironi discrimen vocabulorum, quando res eadem, diuersis modo subiectis attributa, diuersis tamen vocibus exprimitur. Vt ברך *Cubare complicatis pedibus*, aiunt Arabes, vsurpari de camelo (conf. *Gen. XXIV*, II. Hebr. ויברך); contra vero de oue, cane & asino רבץ, de aue גתם. Ita de צבח, quod *Golius* red-

E. dic

dit spirando sonum emisit equus in cursu, doctiores interpretes ad *Corani Sur. C.*, 1. adnotant, dici illud non posse, nisi de equo, cane & vulpe, quando sc. mutetur status eorum ex lassitudine & pauore; de camelo autem vsurpari צבע. Et de sagitta Pocokius in *Spec.* p. 79. ex *Ibnol' Atbir* obseruat, eam diuerso respectu diuersim nominari, קטע quando primo excinditur, ברו cum læuigata fuerit, קרח cum directa, זלם cum specialiter ad fortiendum fuerit adaptata, סהם vbi demum spiculo & alis instructa.

§. XXVII. Denique iure suo huc referenda est prouerbiorum copia: quæ quantas cruces soleat linguarum studiofis ponere, id exteri abunde experientur credo in nostra Germanica. Possunt autem prouerbia in duo genera omnino distribui, vt aliæ sint sententiæ, aliæ loquutiones prouerbiales De his nihil peculiariter in Arabicam linguam scriptum exstat; illas vero patrum memoria collegerunt litteraturæ Arabicæ triumviri, Erpenius, Pocokius & Golius. Nam *Erpenius* quidem Prouerbiorum Arabicorum Centurias duas cum interpretatione Latina & Scholiis edidit, Leidæ ex officina Raphaelengiana; *Pocokius* in *Spec.* p. 341. seqq. complura, quæ in tractatione Historiæ Arabicæ obuia fuere, recenset; *Golius* autem in *Append. ad Gramm. Arab.* vltra tres centurias Adagiorum adiecit. Sunt autem hæc adagia pæne omnia eiusmodi, vt intelligi vix possint citra antiquissimæ Arabicæ historiæ & rerum naturalium cognitionem. Nam v. g. quando dicere volunt hominem nimis fero pœnitentem, vocant eum *אנרם או אחר מן אבי עבשא* magis fera pœnitentia ductum vel maius damnum passum, quam *Abugabschan*, cur? quia *Abugabschan*, quum obtinuisset cum principatu custodiam clauium *Caabe*, eas pro vtre vini vendidit, fera nimis pœnitentia postmodum excruciatu, referente *Pocokio* in *Spec.* p. 42. Loquutionum autem, quæ instar prouerbiorum sunt, incredibilis est in Arabismo proventus. Intelligo huiusmodi dictiones, vt sunt: *ואללה לאקררתן לך תם לאורין* *לך* Per Deum! extundam igniario ignem, eliciamque flammam tibi! quan-

quando alter alteri per iracundiam quid comminatur; *חַדּוּל מַלְכָּה וְלֹא מַעֲנָה* *Haud est illi nec parum nec paruum*, i. e. nihil prorsus habet; *אָכַל לְחֹם אֲלֵנָּם* *Edit carnes hominum*, hoc est, obtrectatorem agit, &c. In quibus loquutionibus haud raro obseruauimus harmoniam Arabismi cum nostra Germanica lingua, vt *אֶעֱקָבָה עָלַי אֲנִקְלָב* *Versus est super calcaneos suos*, Latini vix intelligent, melius autem Germani, *Er setzt sich auff die Hinterbeine* / i. e. *contumax est*; *רָכַב עָלַי רֹאסָה* *Equitauit super caput suum*, i. e. prauī sui genū ductum sequitur, Germ. *er setzt sich auff seinen Kopff*. sic *נִטַּר אֵלַי נִטַּר וְיֹאכְלֵנִי* *Intuetur me intuenso, parum abest, quin deuoret me*, quod *Ibn Masud* in *Comm. ad Sur. LXVIII*, 51. dicit esse tritissimum in sermone Arabum, est prorsus loquutio Germanica, *er sieht mich an / als wenn er mich fressen wolte*. &c.

§. XXIX. Hæc de difficultate linguæ Arabicæ dicta sunt: plura haud dubie inuenturus est ad hanc rem pertinentia, qui ad culturam ipsius omni studio adgressus fuerit. Atque haud scio, possintne superari hæc difficultates tam leuidentis cura & superficiali methodo, qualem nonnulli ad excolendum studium Arabismi commendant. Præcipiunt enim initium quidem a legendi arte fieri debere, sed deinde statim esse quotidie aliquid de Latino in Arabicum idioma conuertendum, adiunctis insuper Grammaticæ regulis. Ridiculum sane, & quo vix quidquam absurdius fingi potest, discendi modum! & multo magis ridiculam, quæ hinc exsurget, styli Arabici rationem! Vnde enim proprietates sermonis, vocabulorumque & phrasium vsus, & partium orationis iunctura constabit, nisi ex sufficienti optimorum scriptorum lectione? Quam qui negligit, ac præpostero ordine nescio quid elaborationis Arabicæ ex sui cerebelli regulis concipit tentatque, næ! is equos (vt tritum est Germanorum) post currum ligat. Enim vero nos ita existimamus: ei qui discere velit Arabicam linguam accurate & solide, cum primis opus esse viuo, vt aiunt, præceptore, qui & linguæ peritus

ritus sit & ad docendum aptus. Nam nobis quidem haud
 quaquam placere potest illa, quam aliqui prædicant propter
 facilitatem linguæ, *autodidactica*: quæ quam parum idonea
 sit & utilis, *Clenardus* suo exemplo nos docere potest; qui
 cum *Epist.* lib. II. p. 260. de suo studio Arabico nonnulla nar-
 rasset, tandem, *Exemplum*, inquit, *in me statuite, quid sit reuera*
Græcis autodidactica ☉, *hoc est, pessimo vii præceptore, nempe seipso.*
 Deinde vero multum in discendi ordine arbitramur situm esse.
 Ac iuvat quidem, Grammaticam prælibare; neque tamen hac
 opinione, quasi pergi non possit ad ipsam lectionem scripto-
 rum, nisi post perceptam omnimodam illius scientiam, sed
 quod sine primis Grammaticæ rudimentis ad ipsos auctores
 legendos nullus pateat aditus. Tum vero ab *Alcorani* lecti-
 one rectissime initium feceris, in qua tamdiu hærendum, do-
 nec vniuersum librum ad finem vsque perduxeris: neque pœ-
 nituerit quemquam, bis aut ter illum repetiisse, eum ad finem,
 vt firmi instar fundamenti sit, cui vniuersam Arabicæ cog-
 nitionis structuram imponas. Hinc progrediendum ad Ver-
 siones Arabicas V. & N. Testamenti, quæ in Bibliis Polyglot-
 tis existant, & vt sine vocalibus aliquid legere discas, com-
 ponendæ cum his sunt Versiones Pentateuchi & N. Testa-
 menti, separatim ab *Erpenio* sine punctis editæ. Hic de-
 mum profuerit, Grammaticam (quæ tamen inter legendum,
 sicubi opus, perpetuo euoluenda fuit) accuratius, ac si con-
 tingat, docendo etiam persequi. Quo factò, *Corani* lectio
 rursum interponi potest ex libro *MSto*, qui si cum impres-
 so conferatur, non multum difficultatis habiturus est, effi-
 cietque, vt paullatim adfuescas ad legendos alius generis *MStos*
 codices: ex quibus initio præ ceteris eligi possunt *Corani* inter-
 pretes; quippe qui non modo integra *Coranici* textus verba
 exhibent, ex nupera lectione nobis etiamnum nota, sed etiam
 stylo eiusdem *Corani* propter argumenti æqualitatem pressi-
 us insistant. Posthæc commodum fuerit, *Historias Arabicas*,
 quæ fluidioris faciliorisque dictionis plerumq; esse solent, per-
 lustrare: ex quibus duas habemus prælo excusas cum *Versione*
Latina, alteram *Elmacini*, quam *Golio*, alteram *Abulfaragii*,
 quam



quam Pocokio debemus. His monitis qui obtemperaverit fideliter, ei haud fuerit difficile, nunc sine cortice nare, licebitque, quoad volet, ad reliquos Arabum libros cum impressos, tum MStos, euagari. Cum primis addere poterit *Timuri historiam*, Arabice editam: cuius studium qui rite perfece- rit, is, teste Golio, ad metam studii Arabici peruenisse, & palmam ferre censendus est. Addimus etiam hoc, quod ferme a nobis prætermis- sum fuerat, cum primo loco debuerit moneri: si quis ad Arabismi studium velit accedere, ei haud vllum fructuo- sius progymnasma futurum, quam si Hebraicæ, ac, si fieri potest, Chaldaicæ atque Syriacæ linguæ noticia fuerit præ- paratus. Vfus enim id reuera comprobabit, quod *Guil. Possellus* olim iudicavit, Arabicam linguam *Hebraicæ adeo affinem esse, ut si quis diligenter versatus sit in Hebraismo, possit ante bienni- um bonam partem illius linguae intelligere.*

§. XXIX. Ordo nunc poscit, ut de studii Arabici v- tilitate quædam adiiciantur; verum isthoc argumentum, præter alios *Hinckelmannus* in Præf. Corani iam occupa- vit quodammodo, estque id tantæ amplitudinis, ut no- stra breuitate constringi non possit. Etymologicum eius vsum speciatim ostendit Celeberrimus noster *Cellarius* peculiari disertatione; cuius vestigiis nos insistentes, eandem in rem nonnulla adiiciemus, ne plane nihil in hac caus- sa dixisse videamur. Nam & ad restituenda ἔτυμα Hebrææ linguæ deperdita, & ad inquirendam vocum significationem formalem, & ad declarandam obscuritatem, sed & ad eruend- am emphasin, quæ cum vocibus tum loquutionibus Hebrai- cis inest, dici vix potest, quantum subsidii adferat Arabismus. Exemplis inuat rem illustrare, paucioribus quidem & extem- poralibus, donec nobis, volente Deo, occasio suppeditauerit, totam hanc causam copiosius persequendi. Quotusquis- que est Lexicographorum Hebrææ linguæ, qui attigerit accu- ratam vocabulorum אִתָּן, אִתָּן aliorumque etymologiam? Nam quod אִתָּן a Cl. *Guffetio* ad אִתָּן ligo refertur, quasi hu- ic affinis sit significatio firmitudinis seu duricie; id præterea, quod valde coactum est, repugnare formæ vocis videtur; quia dicitur ab אִתָּן in plurali אִתָּן. Esa. II, 4. per *Dagescb*, ut po-

tius hoc nomen reducendum sit ad radicem אמת, vel ad Arabicum אמת utensilia & instrumenta domestica. Sed plerique tamen radicem אית (quæ vero nullibi exstat) mente concipiunt, significationem autem *asperitatis* generatim ei tribuunt: quorum vtrumque nobis falsum esse videtur. Nam אית est formæ אצבע, cuius radix adeo formanda איתן, Arabice ایتן *Perennis & indefinens fuit*, vnde איתן significat rem perennem in genere, aquam vero perennem & permanentem in specie. Hinc igitur sunt loquutiones: Mare rediit, נחלוהו לִאֵיתָנוּ *ad fluxum suum perennem* Exod. XIV, 27. איתן *fluuii permanentes*, quorum aquæ non exarescunt, Pl. LXXIV, 15. גוי איתן *gens perennis*, seu גוי מעולם gens inde a multis sæculis famosa & vicens, vt adponitur Ier. V, 15. ררך איתן *via & modus agendi perennis*, האיתנים *loca perennia*, quæ Mich. VI, 2. synonymice dicuntur מוסדו איתן מושבך & נוה איתן *habitatio perennis*, quam nunquam mutare aut delerere cogaris, cui secundum *Cocceii Lex.* sub גאון opponitur גאון הירדן *tractus Iordanis*, certis anni temporibus inundari solitus, qui feras a suis lustris ad tempus prohibet; & איתנים *perennes homines*, ex principali stemmate per continuam & indefinentem successionem propagati. &c. Adeo pulchre his locis omnibus & thema & significandi modum restituit Arabisinus. Neque enim *asperitatis* notio, quam Cocceius vult esse formalem, satis apte exemplis omnibus ad commodari potest. Ita איתן quod probabiliter *locustæ* speciem significare ostendit *Bochart. Hieroz. P. II. lib. IV. c. 1.* est ab Arab. איתן vel איתן *amputavit, mutilavit, succidit arborem vel simile quid*, cui apud Aethiopes significatione æquali respondet *gazama*, & apud Rabbinos איתן docente auctore *Aruch & Burtorfio*, quin etiam apud Syros in N. T. Rom. IX, 28. vt adeo nec mater Hebræa hanc radicem respicere videatur, vnde איתן *locustas* nominavit, quod hæc soleant non solum segetes & arborum folia, sed ipsos quoque cortices atque ramos *rodendo concidere & mutilare*. Quæ etymologia multo est commodior illa, quam Lexicographi contra nominis formam adferunt, a איתן *totondit*.

§. XXX. Deinde ad inueniendam significationem vocum formalem, non possumus Arabismo suum negare usum. Neque enim subscribimus hac in causa Cl. *Gussetio*, qui Præf. *Comm. Ling. Ebr. Orientales* dialectos ab isto offi-

officio remouet. Quidni enim vtamur hoc praesidio, quod superest nobis ex Arabismo? forte quod fallat alicubi? at non vbiuis. Sæpius namque facem præbet, vbi Lexicorum (nisi huc recurrerint) acies aut si ustranea est aut nulla. Ita כוּר, כוּרִים, כוּרִים, & כוּר, si placet, כוּר videntur sane vnius esse familiae; sed quomodo in tanta notionum diuersitate nihilominus per vnam mutuo conueniant, idne inquitquam in Lexicis reperias, euidenter autem in Arabismo, vbi radix כוּר est spirali forma vel in orbem circumuoluere, quæ notio omnibus derivatis inest. Hinc enim כוּר labrum significat, catinum, suggestum denique (hemicyclicum forte) 2 Par. VI, 13. a rotunditate seu forma spirali. Inde porro est כוּרִים testus, כוּר catinus vel fornax ferrarius, & כוּר Corus, mensura aridorum, propter rotunditatem. Ita עץ populus, עם cum עִפְתָּה e regione, secundum, habent formalem suam significationem ab Arab. עם. Communis fuit res, commune fecit quid & communiter. nam עם (sunt verba Cocceii in Lex.) est multitudo consociata, vel obiter; magis tamen consociata legibus ad fruitionem omnium honorum. אַחַד עִפְתָּה multitudo consociata fœdere Dei, ad audiendum verbum ipsius, & bonis ipsis fruendum. עם cum nihil aliud denotat, quam communionem & societatem; עִפְתָּה vel עִפְתָּה communionem situs & proportionis.

§. XXXI. Sed & obscuritatem vocum Hebraicarum illustrat Arabismus. Obscuriora sunt plerisque verba העִפְלִי Num. XIV, 44. & הָרִין Deut. I, 44. id, quod vel ex Lexicorum & Interpretum dissensione patet; sed ex Arabica dialecto clariora fiunt. Etenim Arab. عَفَلٌ est inconsiderate aliquid fecit, in IV. Coniug. Neglexit, vel fecit aliquid incuriosè, non recordans moniti alieni, & in V. Coni. studio non curauit. Ita etiam הָרִין est Arab. הָרִין in IV. Coni. (cui respondet Hebræorum Hiphil) Vilitis & contemptibilis illi res fuit, vili pendit, non habuit rati nem alterius. Dicimus ergo, utroque verbo significari contumaciam & leuitatem animi, qua quis, spreto alterius præmonitione, rem sibi adgrediendam sumit. Quam explicationem uterque locus, cuius contextus parallelus est, requirit; ita vt הָרִין eundem animi adfectum denotet, quem העִפְלִי, quippe cui in eiusdem rei narratione alibi congruit. Accedit Deut. I, 43. alia harmonia æquipollentis phræseos הָרִין וְחַעְלֵוּ וְחַעְלֵוּ proteruescu data opera, age ium vestrum sequentes ascendistis montem, contempta dehortatione mea, cum dixissem: Ne ascendatis. Ita vox אַרְיִבָה dubiæ notionis est apud Lexicographos, quibusdam (vt etymo strictius inhæreant) longitudinem, aliis medelam interpretantibus. Enim vero qui loca biblica, in quibus hæc vox occurrit, secundum contextum & sublatras materias considerauerit, assentietur credo posterioribus, ex re chirurgica nominis significationem deponentibus, quia cum מְדֵלָה medela, similis significationis vocabulo, coniungi amat, confirmabitur autem, & valorem vocis distinctius percipiet, cum viderit Arab. אַרְיִבָה significare אַרְיִבָה sanitatem, coalitum & obductionem vulneris,

De 565

ris, a rad. Arab. ٧٧ Detumuit, & mitigato dolore sanatum fuit vulnus, æquabili & rubicunda carne coaluit.

§. XXXII. Denique eruendæ vel declarandæ per Arabismum emphaseos, quæ est in Hebraica loquutione, vnicum exemplum nunc subiiciemus. Exstant in Scripturis sacris exempla non pauca, vbi ad prædicandam Dei maiestatem, qua differt ab omnibus rebus creatis, duo pronomina personalia absolute & citra vilius prædicati adiectionem combinantur: quæ nisi cum emphasi maxima sumantur, vt poscit locorum & structuræ contextus, ex sanguine fere & aridum sensum constituere videntur. V.g. Deut. XXXII, 38. Deus, *Videte tandem*, inquit, כי אני הויה quod ego ille, quisnam? q. d. vnicum illud verum Ens, cuius respectu cetera entia velut nihil sunt & ne æstimanda quidem: vt si quis audiat de existente aliquo *Ego, Tu, aut Ipse*, velut *nos* ἐξοχῆν debeat cogitare Deum. Pf. CII, 28. ויהוה רונה quod Hebr. I, 12. redditur $\text{ὁ θεὸς ὁ ἀσπὸς ἐγώ}$, q. d. in hoc differs ab omnibus creaturis, quod ὁ θεὸς ὁ ἀσπὸς , ens illud immutabile & semper idem. Sic Christus Ioh. VIII, 24. $\text{ἐδὼν μὴ πιστεύετε ὅτι ἐγὼ εἰμι, quidnam? τὰ πάντα κεν ἐν πάσῳ}$, vnus ille præmillibus, $\text{ὁ θεὸς ἀδελφῶτος ἐν χριστῷ}$ &c. Ita ergo totius gloriæ diuinæ complexus maiestaticus latet in his pronominebus absolute positis, quæ tunc adhibentur, vbi propter infinitatem attributorum diuinorum, quæ ineffabilia sunt, vltierus quasi adscendi non potest, quam ad primum & vltimum credendi principium, ἐπιερί , Hebr. XI, 6. Vt autem intelligi possit, tantam potentiam inesse istiusmodi pronominebus Orientalium, vt Deo quasi soli & in sensu eminentiori comperant; adducimus hic ex historia superlitionis Muhammedicæ singularem narrationem, verbis *Ismaelis Ibn Aly* conceptam, quam dedit nobis *Maracc. Prodr.* P. III. p. 60. *Galata*, inquit, seu *Galienses* (id est *Excedentes*) sunt illi qui excefferunt modum in veneratione suorum antistitum, ita vt attribuerint illis diuinitatem, & exemerint eos e numero creaturarum; nunc similem facientes creaturam Deo, nunt Deum creaturæ. Inter hos sunt *Sebaitæ*, ab hoc Abdallah filio Sebæ, qui dixit ad Aly: אנה אנה TVES TV , id est (addit Ismael Ibn Aly) *Tu es Deus*. Ecce igitur, quanti momenti illud sit, hoc modo pronomina vsurpare, vt etiam Heretici a Muhammedanis declarati fuerint, qui forte adclamauerant antistitibus suis & sanctis: *Tu es!* Conferatur omnino *Castelli Lex. Heptagl.* sub voce והויה , qui hanc in rem haud contemnenda affert.

§. XXXIII. Præterea vix vllum fuerit studiorum genus, cui Arabismus non aliquem vsum comparare possit. In eorum tamen gratiam, qui, si quid etiam præclari in scriptis Arabum exitet, id iam ab aliis Latinitate donatum a quouis legi posse existimant, vnum *Pocokii* locum lubet adscribere ex ipsius *Spec.* in Præf. *Sunt*, inquit, *Arabibus in omni litterarum genere gazæ nondum reclusæ, quibus eruendis manum admoouere, quo minus infra studiorum tuorum gravitatem existimes, hæc vbi que fere gentium nobilissimos viros & consilio & exemplo præeuntes*. Ita differendo nunc finem damus, implorantes Numen Diuinum, vt hanc & quidquid est di. lectorum in mundo, ad regni sui amplificationem per benedictionem suam conuertat.

F I N I S.







D. De 565^v

ULB Halle

3/1

000 872 040



